



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Majus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

## M A I U S.

Festum SS. Philippi, & Jacobi  
Apostolorum Christo Jesu accep-  
tissimorum.

## EXHORTATIUNCULA I.

**O** Fili! si Philippus, & Jacobus non  
paruissent vocanti Deo, ubi es-  
sent? Nunquid inter Apostolos? Nun-  
quid inter Sanctos, qui quondam judi-  
cabunt duodecim tribus Israël? Mini-  
mè; sed lugerent jam inter æternaliter  
miseros, ac infeliciter damnatos. Tan-  
ti interest, correspondere vocationi Di-  
vinæ. Novimus & nos vocem Domi-  
ni: sed cur tam morosi, tardi, & langui-  
di in sequendo?

*Instructio meritoria.*

Pro nutantibus, & periclitantibus in  
via æternæ salutis curramus ad spiritum  
Sanctum, & oremus officium minus de  
Eo, aut Illius Litanias. Spiritus spirat,  
ubi vult. Vult Deus: non permittit  
homo: Quæ hæc impietas?

II. Non

## II.

**N**on sunt contenti hi duo Apostoli, quòd sibi vixerint boni. Ut & milleni forent alii, labores, sanguinem, vitam dederunt. Quis non adeò mirabilem ambiat, & honoret Charitatem? Charitas, si benigna non est, adultera est. Si autem benigna, non tam sibi, quàm aliis erit. Fili! Quid ad hæc amor proprius? Profectò agit nostri Dominum. Væ autem regno, cui puer præest!

*Instructio meritoria.*

Amor proprius cùm serpat subtiliter etiam in corda alioquin sanctissima, precibus impugnandus est, & operibus multæ in alios charitatis. Igitur duodecim actus amoris exerceamus purissimi, cum suspirio Magni Xaverii: *O Deus! ego amo te! nec amo te, ut salves me!* Stantes ad ignem adhuc frigebimus?

## III.

**S**emper virtus laudabilis est, etiam illis, qui hujus vivunt hostes infensissimi. Utrumque hunc Apostolum dicebant justum, & sanctum impii satellites,

tes, qui mortis causa fuerunt. Ah fili!  
Christo, & virtuti adhæreamus unice!  
Certè & ab ipsis amabimur adversariis.  
Nam in homine nequam nec laus,  
nec commendatio.

*Instructio meritoria.*

Pro obtinendo perfecto virtutis, &  
Christianæ perfectionis studio tres actus  
modestiae angelicæ, tres taciturnitatis,  
& tres temperantiæ Christianæ sedulo  
exerceamus, addendô Canticum: *Bene-  
dictus Dominus Deus &c.* Quid dulci-  
us virtutis studiô, & amore?

Festum S. Antonini Archiepi-  
scopi Florentini ex Ordine S. Domi-  
nici Florentissimo.

EXHORTATIUNCULA I.

**F**lli! Capiamus pro anima senten-  
tiam, quam suis reliquit S. Antoni-  
nus dicens: *Qui minas mortalium ti-  
met, indignus est, ut cum martyribus  
coronetur in cælis.* Coronam hanc  
quoties perdidimus, qui plûs hominem  
quàm Deum timuimus? O nimis tur-  
per

pem timorem, qui & longè terribilio-  
rem accerser in vita altera.

*Instructio meritoria.*

Respectus humanus cui non nocuit?  
Ut radicitùs nostris evellamus ex cordi-  
bus, per unum mensem integrum con-  
tra hoc immane, & omni statui adeò  
commune vitium instituamus, quotidie  
à manè offerentes pro felici liberatione  
tres salutationes Angelicas, cum tessera:  
*Libera me de sanguinibus.* Timor non  
hominis, sed Domini est initium sapien-  
tiæ.

II.

**S** Antoninus stetit defensor Mariani  
Nominis acerrimus. Hinc hæreti-  
cum in Mariam blasphemum ad judica-  
vit igni comburendum. Nondum, ò  
fili! sublatis sunt tantæ Matris inimici.  
Nos ore, calamò, & opere honoremus.  
*Qui* enim elucidant me, finem habe-  
bunt, qui & initium erit consummatæ  
felicitatis, & lætitiæ. Huc! huc! cum  
desideriis nostris!

*Instructio meritoria.*

In satisfactionem omnium blasphe-  
mia-

miarum, irreverentiarum, & contumeliarum, quas unquam sustinuit Deipara recitemus *Cursum Marianum*. Et si tempus suppetat, continuemus per octiduum, cordique Mariæ commendemus conversionem omnium impiorum. Quid deliquit Maria, quod multis sit in odio?

## III.

**F**ili! S. Antoninus quomodo moritur? Ut servus Christi, & Mariæ. Hinc illa ò quàm notabilia ultimò decertantis verba: *Servire Deo, regnare est*. Quin, dum videt & Mariam: Eam salutans exclamat: *Sancta, & Immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferram?* Sic dixit, & obiit. O quàm dulcis, quàm suavis mors clientum, & filiorum Mariæ! Est hæc fors in manibus nostris. Nunquid abjiciemus?

*Instructio meritoria.*

Ut teneamus, & ultima morientium nostrum sint verba: *Jesus, & Maria*. Hodie officium de Immaculata Conceptione; cras verò officium de Nomine Jesu offeramus cum filiali affectu sapius repe-

repetendo: *Jesu! & Maria! in vestras manus commendo sensus, corpus, & animam meam.* Si Jesus, & Maria pro nobis: quis contra nos? Umbra Petri quid non potuit? Plus poterit tantorum invocatio Nominum.

**Inventio Sacræ, & Triumphalis Crucis D. N. J. C.**

**EXHORTATIUNCULA I.**

**E**Cce Crucem Domini! hoc signum erit in cœlo, cùm Dominus venerit ad judicandum, quis non trepidabit? Trepidabunt verò illi potissimum, qui sequi noluerunt Christum usque ad mortem Crucis. Fili! Crucifixi in schola strenui semper vivamus discipuli! Præcepta ejus facilia sunt; præmia verò quæ nec oculus vidit, nec auris audivit.

*Instructio meritoria.*

Ut igitur triumphemus in hoc signo super partes adversas, & quondam cum Crucifixo Jesu æternum gaudeamus in cœlis, recitemus tria Cantica ex hodierno Matutino, & ad imagines Crucifixi genu-

genu-

genuflectamus supplicantes : *Jesu Nazarene! Rex Judæorum! miserere mei.*  
O vocem, ad quam contremiscunt inferi!

## II.

**F**ili! sunt plurimi, qui non quærunt, sed Crucem fugiunt. Hos tamen sequitur, quin & assequitur Crux. Sunt & alii, qui quærunt, & inveniunt crucem, quam lubenter subeunt, quia Deum diligunt. Jam quorum è numero sumus? Primi habebunt pœnam. Secundi coronam. Jam eligere oportet.

*Instructio meritoria.*

Nos cum D. Paulo gloriemur in Cruce, & quòd Deus nos toties visitaverit variis tribulationibus, hisque nos in sui amorem attraxerit, in gratiarum actionem cum Officio de S. Cruce dicamus Psalmum : *Laudate Dominum de caelis! laudate Eum in excelsis.* Cum suspirio : *Amplius! Domine! Amplius!* qui fodit, thesaurum invenit. In Cruce latet. Quæramus.

III. Un-

## III.

**U**Nde tanta nobis difficultas in S. Cruce? fortè, quia nimis molli- ter, delicatè, & sensualiter vivimus. Si hoc: Non crux est, quod affligit, sed scelerata, & vitiiis scatens vita. Hanc deponamus; & omnis evanescet difficultas tempore tribulationis. Quod affligitur, corpus est! Quod triumphet, anima. Illi verbera debentur. Huic cœli gaudia.

*Instructio meritoria.*

Cum S. Ecclesia hodie gaudeamus, & ut Deus mittat in scelestum hunc mundum viros à patientia, fortitudine, & constantiâ celeberrimos, hymnum ore- mus: *Vexilla Regis prodeunt &c.* cum SS. Rosario de Mysteriis dolorosis. Tan- gamus rosas, & spirabimus odorem.

Festum S. Monicæ Divi Augu- stini Matris zelosissimæ.

## EXHORTATIUNCULA I.

**E**cclesia sancta quid non debet Bea- tissimæ Monicæ? Quid non & tota insignis Augustiniana familia? Ecclesiæ  
dedit

dedit Doctorem, & malleum hæreticorum. Huic Patrem, & Magistrum pro millenis animabus vigilantissimum. Fili! gaudeamus ergò in S. Monica, ne deserat nos in ultima mortis horâ.

*Instructio meritoria.*

Necdum cessant hæretici. Sed ubi Augustinus? En! Hujus sanctam familiam! Ut crescat in spiritu sui Patris, & Matris, hodiernam communionem offeramus, cum operibus totius diei, & in venerationem S. Monicae exosculemur centies Benedictum illius Cingulum, Hoc stringimur, & jungimur Sanctis, & Deo.

II.

**F**ili! ô quàm aridi, & sicci sunt oculi nostri! Peccavimus multum; & tamen nec gutta cadit. Quis fontem obstruit? Proprius amor, & vitæ superbia. O qualia hæc ad agendam poenitentiam obstacula! Dirumpamus, & necessitatem, ac cordis ariditatem S. Matris Monicae filialiter pandamus, atque commendemus. Mater est multorum, & nostrum.

*Instructio meritoria.*

Ut nobis servemus, hujus sodalitati sub titulo sacri Cinguli (si nondum de eo participamus) inscribi petamus, & 33. *Pater & Ave* recitemus cum oratione de Festo. Solamen est S. Monicæ, discipulos habuisse lacrymarum.

## III.

**S** Monica ubi cognovit, Filium suum Ecclesiæ noviter natum, exultavit dicens ad S. Augustinum: *Ah! libenter jam morior fili mi! cum nihil sit amplius, quod in terris requiram.* Sic loquuntur zelosæ animæ! Dico & ego: Fili! vivimus in sinu, & sub custodia Romanæ Matris: Quid ultrà poscimus? Aliud non, quàm & hujus mori fide sanctissimâ.

*Instructio meritoria.*

Grati jam sumus, quòd à Christianis parentibus huic mundo dati, & tam sollicitè educati in doctrina catholica, hodie manè, & noctu dicamus *Te Deum Laudamus cum* 12. *Pater & Ave* in honorem SSS. Trinitatis. Nihil turpius! nihil

hil abominabiliùs ingrato, & immemori animò.

## Festum Sanctissimi Pii V. Pont.

Max. ex Ordine S. Patris Dominici.

### EXHORTATIUNCULA I.

**O** Fili! verè datus est orbi hic sancti Dominici Filius ad conterendos Ecclesiæ hostes; & ad reparandam Dei gloriam, etiam ab ipsis Christianis sordidè neglectam. O si haberemus plures ejusmodi Pios! Habebimus, si bonis moribus, studio virtutum, & SS. Ecclesiæ præceptis omnem impenderimus conatum, & operam. Sic statuamus!

### *Instructio meritoria.*

Pro omnibus in vinea Domini constitutis operariis, ut verbo, & exemplo Ecclesiæ producant fructum centesimum, *Lytanias de omnibus SS. oremus, Nomenque S. Pii interponamus, per diem sæpiùs coram Crucifixo genuflectendo cum gemitu: Te ergò quaesumus, tuis famulis subveni &c.* Hic sanguis clamat ad nos.

II. Ho.

## II.

**H**onores ô quantum non mutant mores! non ita in S. Pio. Electus Pontifex eandem tenuit vitæ rationem, quam prius ut humilis religiosus; quin auxit labores cum fervore pro restituenda disciplina ecclesiastica. Fili! vita nunquam mutari debet, nisi in melius. Crescunt quotidie Dei gratiæ, & coeli beneficia; crescant & in nobis virtutum opera. Et non promerita deerunt præmia. Magnus si quis vult esse in hoc sæculo, vivat ut Pius.

*Instructio meritoria.*

Ut in filiis Ecclesiæ cadat cum turpi ambitione fastuosa superbia, & elationis spiritus, humilitasque Christi Jesu dominetur cordibus nostris, nihil loquamur hodie vel in laudem propriam, vel in alterius despectionem. Insuper coram Sanctissimo ter inclinatio capite, & expansis brachiis *quinque Pater & Ave* orandò adjunctâ clausulâ: *Christus factus est pro nobis humilis usque ad mortem.* Oratio: *Respice quesumus Domine! super hanc familiam tuam &c.*  
 Qua-

Qua-

Qualis Magister, talis & discipulus : Jesus humilis corde, humilis & ego.

## III.

**M**odicæ fidei ! cur ita tristis, desolata est anima vestra ? in angustiis hæret, & pressuris afflictionum : Quid tum ? Ecce ostendam, ubi quæramus assistentiam ? Periclitabatur tota Ecclesia ob turcarum potentiam. Quid S. Pius ! flectit coram Crucifixo, orat pro Matre, & certantibus filiis. Et ô mirabilem vim orationis ! jam insonat læta victoria. Hanc dare, solius est Dei : Hominis autem orare, & invocare dexteram Excelli. Mendici, inopes sumus ! Eamus ! Pulsemus !

*Instructio meritoria.*

Crucem Domini erigamus in cubiculo nostro, & pro nostris, tum & Romana Ecclesiæ necessitatibus sapius coram Crucifixo flectamus, orantes *quinqve Ave* cum oratione notissima : *Deus refugium nostrum, & virtus.* Nunquam à Christo ! Nunquam sine Crucifixo !

Fe

Festum S. Angeli Martyris,  
Carmelitæ omnium virtutum, gratia-  
rum & scientiarum genere con-  
spicui.

## EXHORTATIUNCULA I.

**A**ngelus! ô gloriosum Nomen! hoc  
dedit Maria, ut disceret, quî vive-  
ret in sæculo nequam. Et profectò vi-  
xit ut Angelus, & mortuus est, ut Mar-  
tyr invictus. Fili! si nomen nobis desit,  
adsit tamen actio, & opus Angeli. Ec-  
quale illud? Inspiciamus, & ubique vi-  
vamus ut *nuntius Dei*, nuntius in verbis,  
nuntius in præclaris vitæ exemplis.

*Instructio meritoria.*

Pro sacra Carmelitana familia, ut plu-  
res ejusmodi depravato sæculo generet  
marianos angelos, offeramus *Cursum*  
*Marianum* cum sacrificio, & omnibus  
diei exercitiis, ac virtutum actibus, quos  
inter 12. actus angelicæ modestiæ v. g.  
nullam aspiciendo fæminam. Procul  
ab igne cum stipula!

II. Vi-

## II.

**V**ictima cecidit pro Deo cruenta hic  
S. Angelus. Quis adornavit? Impu-  
purus, quem sceleris arguens, ad poeni-  
tentiam suaviter invitavit. Fili! Quis  
pertinacius impurè viventibus? Verùm  
cæci sunt. Sinamus, & nos cum S. An-  
gelo puritatem cordis defendamus.  
Hæc sola si comes fuerit, ad tumulum  
nostrum probabit Martyrium. Non  
enim idè *laudabilis virginitas; Quis  
in martyribus reperitur: Sed quia ipse  
martyres facit.* S. Ambrosius.

*Instructio meritoria.*

Renovemus hodie vota solemnia, &  
gratias agendo pro S. Confessione jur-  
gamus Ambrosianum Canticum: *Te  
Deum Laudamus.* Et cuilibet voto  
tres actus reflexè exercendos donemus.  
Actus perficiunt habitum? Et exerciti-  
um reddit aliquem sanctum. Sine his  
nihil.

## III.

**C**onfossus ad triplicem aureolam vo-  
catur, animamque sub specie Co-  
lumbæ efflat candidissimæ, cujus & pa-

liô sex mortui resurgunt ad vitam. Tanti est, vivere, & mori ut Angelum. Fili! desuntne nobis media? Habemus certè in abundantia. Deus quoque non deest. Quis? vel quid ergò? Nemo nisi sibi homo. Nunquid? quia vult piger, & non vult. O pigritiam, non columbis, sed corvis propriam! verùm qualis vita, mors est ita.

*Instructio meritoria.*

Memoria mortis reddit hanc suavissimam. Igitur hodie pro nobis ipsis quasi jam jam agonizantibus persolvamus flexis humiliter genibus coram Crucifixo, aut Sanctissimo commendationem animæ, addendo & communionem spiritualem. Nunquam moritur, qui mori semper paratus.

Festum S. Joannis ante Portam  
Latinam.

EXHORTATIUNCULA I.

**C**alix Domini, calix afflictionis, & crucis nos terret plerumque, ne vivamus ut perfecti Christi discipuli. Fili! cæci nimis adhuc sumus, quia præ-  
P mia,

mia, & gaudia non cernimus, quæ Deus abscondit sub torculari S. Passionis. Hoc ni calcatum fuerit strenuè in hoc sæculo: Ah! quid timendum de futuro? Solvamus, dum tempus opportunus.

*Instructio meritoria.*

In obviis hodiernis adversitatibus hominem exteriorem componamus ad omnem serenitatem in oculis, & lenitatem in verbis: Et cum S. Joanne constanter adhæreamus Christo. Hinc hymnum recitemus: *Vexilla regis prodeunt &c.* cum Rosario doloroso. Cruces produnt, cujus milites simus. An inquieti & turbidi sæculi? An Crucifixi Domini.

II.

**F**lli, datur S. Joanni optio, aut mori in ardenti, & ferventi oleo! aut abnegare, & abjurare fidem Christo. Quid eligit? Primum: & o quàm feliciter! nam nec ignis nocuit, qui Jesum nunquam deseruit. Luunt carnifices: Liber evadit à flammis Evangelista. Quantum prodigium! & hoc Christia-

næ constantiæ præmium! Statutum & nobis : Sed fideliter pro Christo decertantibus.

*Instructio meritoria.*

Fidem noviter demus Jesu, repetendo illam formulam in Baptismo usurpatam : *Credo in Deum Patrem! Credo in Christum Jesum &c.* Econtrà abrenuntio carni, mundo, satanæ! abrenuntio & omnibus pompis ejus. In fine jungamus : *Quicumque vult salvus esse &c.* Nihil beatius, quàm credere : Sed opere, & veritate.

III.

**E**Vasit martirium unum S. Joannes, jam damnatur ad alterum; quia mittitur in exilium. Sic ludit Divinus amor. Auget occasionem patiendi, ut inveniat ampliorem retribuendi. O igitur ignava hominum corda! quæ vel ad tolerantiam afflictionis fortè unicæ credunt, se jam præstitisse plurima. O fili! plus ultra! amor in Deum nescit excessum. Nunquam nimius pro cælo labor. Sursum ô dilecte! actus actibus jungamus. His scanditur cæli patria.

*Instructio meritoria.*

Quid dulcius cœlo? huic ut nostrum  
 maneat inscriptum Nomen, duodecim  
 actus exerceamus contrà iram, & inordi-  
 natam tristitiam, quâ forsitan gravius  
 impugnabimur hodie; ad noctem verò  
*duodecim Pater & Ave* cum Psalmo:  
*Laudate Dominum omnes gentes &c.*  
 Item: *Latatus sum in his, quæ dicta*  
*sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Et  
 in exilio? in captivitate ita hæremus?

Festum S. Stanislai totius Polo-  
 niæ Thaumaturgi Clementissimi.

## EXHORTATIUNCULA I.

**M**odicæ fidei! cur hominem time-  
 mus? S. Stanislaus Regi Boleslao  
 turpiter viventi libidinem publicè obji-  
 cit; minatur Dei judicium, & perpetu-  
 um damnationis supplicium. Sic lo-  
 quuntur viri zelantes honorem Dei.  
 Fili! & nos inter illos? Outinam!

*Instructio meritoria.*

Quot bona omisimus? quot mala  
 commisimus; quia hominis oculos, ju-  
 dicium, favores, & æstimationem re-  
 spexi-

speximus. Quid ad hæc justus Judex? Contemptus, offensus Deus? Tessera sit nobis commendatissima: *Propter hominem non incepti: nec propter hominem desinam.* Ut solo ducamur Dei amore, ad mensam per octo dies continuos reflexè spirituales instituamus Communionem, mentaliter nobiscum repetendo: *Anima Christi sanctifica me &c.*

## II.

**C**Alumniis, detractionibus subjici, Crux, & afflictio maxima. Sed non S. Stanislao. In sui defensionem è tumulo advocat mortuum. Revixit, & Pontificem protexit. O fili! quid timeamus, si propria nos non arguit, aut damnat conscientia?

*Instructio meritoria.*

Detractio quantum malum! & pro dolor! quot occasiones illius? ut effugiamus, firmum fiat propositum, aut discedendi ex loco; aut obrutescendi ex toto. Etiam ex solo fumo caligant oculi. Pro medio efficaciori assumatur examen speciale contra detractiones.

Continuetur per unam, vel alteram hebdomadam. Inde ô quanti non evademus detractionum ofores! Superi! os, & aures claudamus, ne inimici, mali sermones intrent, & perimant animam.

## III.

**A**D aram pro fide, & Deo optata cecidit victima sub gladio impiorum innocens Stanislaus. Et ô miraculum! advolant aquilæ, & sacrum corpus à bestiis tuentur. Fili! procidamus & nos, & gloriosa S. Stanislai exosculemur membra, supplicantes, ut & in ultima nos non deserat vitæ lucta.

*Instructio meritoria.*

Quis neget, S. Stanislaum bonum fuisse Pastorem? talibus indiget adhuc Ecclesia. Misereamur Matris, & ut perenniter triumphet, floreat, ac gaudeat in viris Apostolicis, sanctis Episcopis, & Pastoribus zelosissimis, hodie omnes Sanctos invocemus per eorum Lycanias majores. Devotus filius est solacium matris.

Fe.

Festum Gloriosæ Apparitionis  
Principis Angelorum SS. Michaëlis  
Archangeli.

EXHORTATIUNCULA I.

**F**ili! Quid sibi festum hodiernum?  
Denotat insigne in nos Divinæ  
Clementiæ beneficium. Cœlum mani-  
festavit mundo, cujus suis in ærumnis  
protegeretur patrociniis. Stamus & nos  
sub eo. O quanta securitas! tot inter  
insidias!

*Instructio meritoria.*

Pro assistentia Angelica in periculis  
potentissima recitemus ex hodierno ma-  
tutino Psalmum: *Benedic anima mea  
Domino &c.* Dignus non est præsidio  
Archangeli, qui vivit immemor benefi-  
cii tanti.

II.

**N**oluit Deus, ut Cultus S. Michaëlis  
diutiùs lateret absconditus. Hinc  
hodiernò prodidit miraculò. Si Deus  
ita suos honorat Archangelos: Quid  
agat homo? Fili! Ubi essemus, si sub  
tutela S. Michaëlis hætenus non stetisse-  
mus?

344 VIII. Maji. Apparitionis S. Mich. Arch.  
mus? Et quoties nostra tantam charita-  
tem recogitat memoria?

*Instructio meritoria.*

Ut perpetuò fiat, inscribamur hodie  
hujus Archifraternitati longè celeberrimæ : Et nunquam eamus cubitum, nisi anticipatâ illius votivâ formulâ cum filiali commendatione ad SS. Archangelum. Nox non est, ubi assistit Angelus lucis.

III.

**O**Tho Magnus Imperator peccavit graviter homicidiò. Satisfecit. Ubi? In templo S. Michaëlis, ad quod nudipes, & peregrinus comparuit. O chare! Utinam & nos non premeret sarcina iniquitatis! Quid moramur? Genuflectamus! Ad pedes tanti Archangeli, & protectoris deponamus. Audiemus ex ore Principis : *Vade in pacem! Noli amplius peccare!*

*Instructio meritoria.*

In hodiernis examinibus, vel sacramentali Confessione proximâ specialiter nos accusemus de omni nostra ingratitude, & irreverentia, quibus frequen-

tissimè offendimus Angelorum oculos,  
& in satisfactionem omnia exercitia  
religiosa peragamus proximâ die clausis  
oculis, & in fine diei subjungamus Psal-  
mum: *Laudate Dominum de cælis!*  
*laudate eum in excelsis!* Deprecatio hu-  
milis potens est in Dei, & cœlitum  
oculis.

Festum S. Gregorii Nazianzeni  
Episcopi, & Doctoris in Ecclesia Sa-  
pientissimi, Excellentissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

**F**lli! ubi vera sapientia? In vanis sci-  
entiis? Non ita. En! has ambit S.  
Gregorius, & dum ad eas acquirendas  
proficiscitur Athenas, vix non naufra-  
giò periit. Vera scientia, & solida inve-  
nitur in contemptu sæculi, & amore Dei.  
Ubi nos quærimus?

*Instructio meritoria.*

Omnia hodierna studia, ut serviant  
animæ pro Dei gloria, inchoemus ab  
invocatione SSS. Trinitatis, præmitten-  
dò *tria Pater & Ave* cum totidem *Glo-  
ria Patri &c.* & oratiuncula: *Actiones*  
P 5 *nostras*

*nostras quæsumus &c.* à Jove principium!

## II.

**E**Cclesiæ, & populo proficit plurimum tantus Doctor. Quomodo? insigni vitæ suæ exemplo. Hoc solò & malos terruit, & bonos ad virtutis animavit studium. Fili! quid pravis exemplis nobis accendimus flammæ purgatorii? Unicò exemplò malò ò quot offendimus? Deum! proximum! nos ipsos!

*Instructio meritoria.*

Scandala si quæ data, ut deleamus, futura verò præveniamus, ad omnes Sanctos clamemus, recitandò *lytania* *Majores*, & pro tessera diurna januis, vel pulpitis affigamus illud S. Pauli monitum: *In omnibus teipsum prabe exemplum bonorum operum; in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum &c.* Lege, & sic vive.

## III.

**R**Ara avis constans amicus! talem S. Gregorius quæsit, invenitque in S. Basilio, cum quo non nisi æterna

tra-

tractavit, & immortalia. Fili! ubi?  
vel quales amici nostri? utinam in cœ-  
lo! utinam & in Divo Gregorio! eliga-  
tur hodie; quia magnus coram Deo in-  
tercessor, & consolator animæ. In mun-  
do si quæramus, haud inveniemus.

*Instructio meritoria.*

Ut omnes S. Ecclesiæ Doctores nobis  
lucremur in amicos pietatis, & Divinæ  
sapientiæ, hodie eis offeramus duode-  
cim actus abnegationis proprii judicii  
cum *officio de Spiritu Sancto*. Accedi-  
te, & illuminamini!

Festum Sanctissimi & Glorio-  
sissimi Triumphatoris S. Joannis Ne-  
pomuceni Protectoris bonæ  
Famæ Prodigioli.

EXHORTATIUNCULA I.

**F**ili! spes non confundit! ut quid tri-  
stis est anima nostra, dum nomine,  
vel famâ patimur gravissima? clame-  
mus ad Deum! clamemus ad Mariam!  
clamemus ad Sanctos, quos inter glorio-  
sè triumphat S. Joannes Nepomucenus,  
P 6                      cujus

348 XVI. Maji. S. Joanni Nepomuceni.  
cujus cultus sit vita vestra. Vivere Sanctis, quàm gloriosum est!

*Instructio meritoria.*

O quantas nostris peccatis merebamur confusiones! quanta & bonæ famæ dispendia! sed pepercit Deus, & cœlum. Gratias agamus per *Te Deum Laudamus*, nostrasque tam in- quàm externas necessitates S. Joanni Nepomuceno committamus per *Officium minus*. Honora; & honoraberis.

II.

**N**on timuit S. Joannes Cæsarem; timuit solum peccatum. O quàm sanctus hic timor! Timemus & nos! Sed hominem; offendere verò Deum, nec exhorrescimus, nec erubescimus. Et nos à tanto Patrono defendi, & exaudiri speramus? Cesset peccatum, & impetrebimus.

*Instructio meritoria.*

Ad respectum humanum penitus extendendum hodie post S. Confessionem in solitudine quiescamus, per quadrantem aliquid meditantes de quatuor novissimis. Addamus & in venerationem gloriosissimi

riofii Martyrii, quod S. Joannes subiit  
pro Gloria Dei, illa tria cantica, quo-  
rum primum incipit: *Iustorum anime  
in manu Dei sunt.* Si ego Deus: ubi  
amor? Timor ubi?

## III.

**I**nnocentia premitur; vitium, & ma-  
litia coronatur. Quid tum? Sic suos  
probat Deus. Vult, modicum hinc pati,  
ut ibi gaudeant æternum. Dilecte!  
quid nos patimur? Si multa, si gravia  
cum S. Joanne: gaudeamus! Si parum:  
heu! Severum nos expectat Dei judici-  
um. Recepimus enim mercedem no-  
stram in hac vita. Hinc disciplicuimus  
Deo. Abjecti viximus à facie Domini.  
Væ qui ridetis! Quia flebitis!

*Instructio meritoria.*

Fratres Crucifixi Jesu sumus! Cives  
sanctorum sumus! pati oportet, ne de-  
generemus à spiritu eorum. Pro im-  
petranda igitur constanti patientia per  
septem dies recitemus quotidie unum  
psalmum ex Pœnitentialibus. Cor con-  
tritum, & humiliatum Deus non despi-  
ciet.

Festum B. Simeonis Stock è SS.  
familia Carmelitana, Pretiosi  
Mariæ famuli :

## EXHORTATIUNCULA I.

**F**ili! hic vir! hic Beatus est, cui vi-  
vi, & mortui debent plurima, dum  
sacrum scapulare obtinuit à Maria. Hæc  
gratia unde B. Simeoni? à constanti in  
Deipparam pietatis affectu, & filiali amo-  
re. Hæc merces amantium est. Hinc  
ipsa coelitem Regina in soliloq. Tho-  
mæ Kemp. Ego sum Mater misericor-  
diæ, plena Charitate, & dulcedine.  
Ego peccatorum scala, reorum spes &  
venia. Ego moestorum consolatio, &  
piorum Merces magna nimis. Quis in  
S. scapulari non diligat Mariam?

*Instructio meritoria.*

Congregationi de SS. scapulari hodie  
nostra dabimus nomina, vel si jam in-  
scripta, formulam renovabimus voti-  
vam cum Cantico Ambrosiano: *Te*  
*Deum Laudamus*, pro accepto salutis  
vexillo. Qui stat, & pugnat sub præse-  
dio

dio Reginae tantæ, quem hostium timeat?

## II.

**B**Eatus Simeon meruit sub Marianæ Protectionis recipi pallio, & hoc ob specialem tempore afflictionis, & adversitatum in Mariam confidentiam. Gallina suas sub alas abscondit pullos suos: Et id negabimus Matri Divinæ respectu clientum? Non sic genuini Mariæ filii! Hi enim noverint illud S. Bernardi: Hæc Mater est singularis diligentia: nulla unquam Mater tantum pro filio sollicita fuit, imò nec omnes simul sumptæ, quantum Maria sollicita est pro suis. Serm. 3. de Assumpt.

*Instructio meritoria.*

Idem fateamur & nos recitando Rhyth-  
mum S. Casimiri: *Omni die dic Mariæ,  
mea laudes anima.* Manè verò, & no-  
ctè intonabimus Canticum Simeonis:  
*Benedictus Dominus Deus Israël.* Verè  
visitavit, & visitandò nos sanctificavit S.  
Scapulari clemens, Pia, & Dulcis Virgo  
Maria.

III. Fi-

## III.

**F**ili! quis nostrum habitabit cum ardoribus? quis non contremiscat ad purgatorii incendia? O felices SS. Scapularis Cultores! His suam quoque inter flammis promisit Maria consolationem, & assistentiam per B. Simeonem. O quot non sacro Scapulari debemus oscula! Quot gratias familiae Carmelitanae!

*Instructio meritoria.*

Pro incremento Archi - fraternitatis tam antiquae quam pretiosae hodiernae totius diei opera offeramus cum Curia Mariano. Flumina imitemur. Reddamus mari, quod à mari accepimus.

Festum S. Paschalis Baylon ex  
Ord. S. P. Francisci.

## EXHORTATIUNCULA I.

**D**ilecte! Quis exprimet in S. Paschali puritatem, humilitatem, fervorem, Deique & proximi amorem? Uiccepit in sua innocentia, ita continuavit, mortuus quam gloriosissime. Non initia sunt Christianorum, sed finis, & con-

consummatio. Si benè coepimus: ut  
quid opus maculamur inconstantia?  
Et hæc ò quàm turpia in Dei famulo!

*Instructio meritoria.*

Donum constantiæ in bono defursum  
est! ut cœlum largiatur, hodiernum sa-  
crum cum SS. Rosario offeramus, sæ-  
pius ingemiscendo per diem: Domine!  
qui dedisti velle, da & perficere!

II.

**F**ili! sumus & nos, qui se profiten-  
tur Cultores Mariæ. Erimus, si  
cum S. Paschali ad pronuntiationem Ma-  
riani Nominis frequenter capita religio-  
sè inclinemus, & Mariæ transeuntes  
imaginem piè subsistamus, & factâ me-  
diâ genuflexione Matrem Gratia salute-  
mus. Monstremus nos filios! & mon-  
strabit, se esse Matrem, Maria.

*Instructio meritoria.*

Assumamus præfatam praxin, & ut  
Mariæ ubique in SS. imaginibus debitus  
impendatur honor cum reverentia,  
quinque Psalmos Nomen Mariæ expri-  
mentes flexis genibus recitemus, cum  
desi-

desiderio : Dignare me cum S. Paschale , laudare te Virgo sacrata !

## III.

**C**Hare ! Quæ est via in Domino mentientium ? En ! anima S. Paschalis visa est igneò curru rapti in cœlum. Sociemus nos Seraphinis in fervore pro Deo , & Maria , atque proximo ; & monstrabitur semita solis amantibus strata. Huc ! Huc ergò desideria nostra ! Præcessit S. Paschalis cum mille aliis ! Sequamur ! quibus non minùs assequendi promissio per Dei gratiam facta.

*Instructio meritoria.*

Viri Religionum ut vivant ut ardetes Seraphini , *Lytanias de omnibus Sanctis* persolvamus , interponendo specialiter Nomen S. Paschalis. In fine addamus Rythmum amoris : *O Deus ! Ego amo te !* Non alis , sed igne , & flammis dignoscitur Seraphim.

**Festum S. Felicis ex SS. Ordine**  
 Capucinatorum, Fratris amore, &  
 spiritu Dei abundantissimi.

**EXHORTATIUNCULA I.**

**F**elicia, mi fili! optamus vivere, &  
 videre tempora! Habebimus, si  
 cum S. Felice, contemptô sæculô, so-  
 lum quæramus, & diligamus Deum. Ri-  
 sit vir humilis ad hominum risus con-  
 tentus Dei gratiâ, & purâ innocenti con-  
 scientiâ. O nos infelices! Si aliter vixe-  
 rimus.

*Instructio meritoria.*

Malas cupiditates, & inordinatos ap-  
 petitus ad res mundanas, & transitoria  
 vincamus hodie sexies orantes Psalmum:  
*Deus in adjutorium meum intende.*  
 Cum 12. Pater & Ave, ac diurnâ tesserâ:  
 Cupio dissolvi, & esse cum Christo.

**II.**

**S** Felix meruit in suum recipere sinum  
 Dei Unigenitum, à Maria ad am-  
 plexus oblatum. Quantus favor. O fi-  
 li! Et hic unde? Dicam: Sed ad no-  
 stram doctrinam, & S. Felicis prom-  
 ptam

ptam imitationem, atque sequelam  
Omnes Mariæ Vigiliis solo pane trans-  
egit, & aquâ. En! dum jejunat ho-  
mo, reficit, & suâ recreat præsentis  
Deus.

*Instructio meritoria.*

Sabbathino assuescamus jejunio, & in  
profestis non obliviscamur Mariæ. Ho-  
die ut illius amor, & cultus crescat in  
orbe universo, recitemus Casimiri Can-  
ticum: *Omni die, dic Maria &c.* Je-  
junet corpus, ut pinguefiat anima.

III.

**S** Felix tria nos hodie docet, quæ &  
suo commendavit dilecto socio.  
Videlicet: Coronam Mariæ portare in  
manibus, oculos defigere in terram,  
mentem elevare ad Deum, & coeli pala-  
tium. Quod docuit Felix, id & suis  
præstitit exemplò. Quid mirum, si &  
moriens à Deipara invitatus sit ad sidera.  
Prævit: curramus, doctrinam observe-  
mus! Sic comprehendemus.

*Instructio meritoria.*

Commendo praxin à S. Felice datam  
Et ut sæculo mortui ambulemus cum  
Deo.

Deo, recitemus Psalmum : *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum!*  
cum uno S. Rosario. Sit mens, ubi Deus.

Festum S. Petri Cœlestini SS.  
Ordinis Patrum Cœlestinorum Fundatoris zelosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

**F**ili! Quomodo primos cœpimus annos? Fuitne & nostra cum S. Cœlestino parellula prima : *Volo esse bonus servus Dei.* Si non : Hodie ut simus, fatagamus, despiciendo servitutem, quam impium sæculum suis injicit asseclis. Servire Deo præstat; quia semper lætabimur in eo. Dominus est! Quis non ministret?

*Instructio meritoria.*

Servitutem ut SS. Trinitati probemus nostram, duodecim actus fraterni amoris exerceamus reflexè, quibus & jungamus Canticum : *Confitemini Domino, quoniam Bonus; quoniam in seculum Misericordia ejus.* Liber est, qui pro Dei, & proximi vivit obsequio.

II. S.

## II.

**S** Cœlestinus à Deipara, dum cæcutiret, recepit oculum. A S. Joanne verò Evangelista instruitur in litteris, quin & Christus de Cruce ei morum, & studiorum instructores dedit Angelos. Fili! Jam colligere licet, quantum placeat cœlo, & Sanctis vita docta, & pœnitentia. Quid igitur nobis cum ignavia, & turpitudine?

*Instructio meritoria.*

Pro insigni in litteris, & moribus profectu, studia inchoabimus flexis genibus cum hymno : *Veni S. Spiritus, & hodie Crucifixum cum Maria, & dilecto discipulo in Magistros eligamus, orantes Lytanas de dulcissimo Nomine Jesu. Petra est! Adhæreamus!*

## III.

**U**T suæ ad solitudinem vocationi responderet, inauditò contemptum sui exemplò, Papatum amisit. Maluit degere solus, & salvari certò, quàm contumescere inter pericula, & mundi strepitum periclitari. Fili! In mundo versamur. Væ, si & dilexerimus. Fugiamus, ne pereamus.

pereamus. Jugum Domini suave! Dæ-  
monis intolerabile. Et ô cæcitatem!  
*Præcipit id diabolus, & auditur.*

*Instructio meritoria.*

Ad cogitationes de honoribus, favo-  
ribus, promotionibus citò respondeamus : *Si ita placuerit Domino! At glo-  
riam alteri non dabo.* Ut illa omnia  
contemnamus seriò, addamus Lytanas  
de omnibus Sanctis. Audeamus gene-  
rosi! Habemus potens pro nobis cœ-  
lum!

Festum S. Bernardini Senensis  
ex S. Ordine Seraphico.

EXHORTATIUNCULA I.

**V**ix parvulus, jam pueriles spreverat  
lusus, & totum se jejuniis, oratio-  
ni, & cultui Mariæ consecravit. Amice  
mi! quando & nos in pleno serviemus  
Deo, ac Mariæ? Cur non modò? Cur  
non hodie? Moram non patitur amor.  
Ut citò fiat.

*Instructio meritoria.*

In honorem S. Bernardini coram  
Imagine Beatissimæ Virginis sapiùs fle-  
ctamus

Etamus genua, salutantes Mariam: *Salve Regina!* Hæc enim procurabit, ne pereamus; efficiet, ut salus nostra de die in diem multiplicetur, & Filio Mariæ Domino nostro vita nostra jugi devotione famuletur. Quis igitur non centies dicat: *Salve!*

## II.

**C**astitas quanta virtus! Sed præstantissima in S. Bernardino, quò presente ne quidem impudentissimus verbum audebat proferre minùs honestum. O benedictum os! Cui non nisi sancta, & castissima insunt colloquia. *Fili!* Ita loqui decet. Sed à quo discimus? Veneremur Bernardinum! Sicut diriget discipulos.

*Instructio meritoria.*

Ad obtinendam ergò gratiam Conversationis Angelicæ locum recreationis non accedamus, nisi priùs à Jesu, Mariæ & S. Bernardino petita benedictione, & licentiâ coram Sanctissimo, ubi & hymnum præmittamus. *Ave Maris stella.* Principes, & potentes hujus sæculi rogari volunt: Cur non & Sancti?

III. No

## III.

**N**Omen Jesu S. Bernardinus semper in ore, & in pectore gerebat, suoque vitæ exemplô collapsam pietatem, morésque restituit. Chare! Quæ verba in ore? Quæ opera in corde? Utinam S. Bernardini! Si non sunt; heu! Peccata sunt!

*Instructio meritoria.*

Hodie Officium de dulcissimo Nomine Jesu persolvamus magnâ devotione, & filiali contestatione, nos aliud posthac cogitare, aut loqui non velle, nisi de Jesu, Maria, & Sanctis Dei. Hi si non sapiant, vita nostra in periculo est. Stomachus nauseabundus minatur interitum. Quid mens spiritu, & amore cœlestium vacua?

Festum S. Mariæ Magdalenæ  
de Pazzis ex Ordine Beatissimæ Virginis de Carmelo.

## EXHORTATIUNCULA I.

**V**Ix noverat Deum, jam amavit, & unicè dilexit. Hinc frequentissima in Ecclesia coram Augustissimo Altaris

Q

taris

taris Sacramento. Huc! Huc! O dilecte! si nostra afflicta est anima! *Accedite cum fide, tremore, & dilectione.* Monet S. Augustinus.

*Instructio meritoria.*

Visitemus hodie latentem in tabernaculo amoris sponsum nostrum Eucharisticum, & ut nobis amanter tribuat tres virtutes theologicas, *vivam fidem, spem firmam, & charitatem ardentissimam,* recitemus Rythmum S. Thomæ Aquinatis: *Adoro te devotè latens Deitas, quæ sub his figuris verè latitas &c.* Jesus mansit nobiscum, ut nobis præsto esset. Audiamus vocem illius, & audiet nostram. *Non audivimus, ait Salvianus, non audimur; non respeximus, non respicimur.*

II.

**A**Mor amantem probat, & S. Magdalenam gravis derelictio, ariditas, & in spiritu desolatio summa. Quid illa? Contristari? Irasci? Turbari? non ica. Sed ardentem suspirare: *Pati, Domine, non mori.* Hic utique confundimur? Dilecte fili! Sit afflictio nobis imposte-  
rum

rum multorum meritorum occasio.  
*Non contristabit justum, quidquid ei ac-*  
*ciderit.* Prov. 12. Nam diligentibus  
 Deum omnia cooperantur in bonum.

*Instructio meritoria.*

Ergò ad desolationes non terreamur,  
 sed gratias agamus cum desiderio : *Pati*  
*Domine ! non mori !* Et ut compensemus  
 omnes indignationes, murmuraciones,  
 & inordinatas tristitias, in honorem sep-  
 tem Dolorum Beatissimæ Virginis per-  
 solvamus 7. Pater & Ave cum *Stabat*  
*Mater.* Maria plorat : lacrymatur :  
 Et rideat filius ?

III.

**I**nfidelium, & peccatorum ruinam, ac  
 interitum adeò amarè desolebat hæc  
 Sancta Virgo lacrymè, ut & sese Deo  
 sisteret paratissimam ad quævis pro illo-  
 rum certa salute subeunda corpòris tor-  
 menta. Fili ! Ubi zelus ? Ubi amor ?  
 Ubi compassio nostra ergà afflictas, &  
 vix non æternum perituras animas. En !  
 Jesus clamat de Cruce : Misere mini !

*Instructio meritoria.*

Igitur nulla jam ampliùs transeat dies,

Q 2

ubi

ubi saltem non unam decadem ex S. Rosario pro conversione eorum applicaverimus. O quantum hoc erit gaudium in cœlo. Haud dubiè (sunt terribilia S. Gregorii verba) à nobis repetet Deus rationem animæ fratris nostri, si, cum possumus ejus procurare salutem, neglexerimus.

Festum S. Philippi Nerii Congregationis Patrum de Oratorio Jesu Instititoris Celeberrimi.

EXHORTATIUNCULA I.

**O** Quantus, & qualis hic vir fuit in abstinentia, vigiliis, & orationibus! Quid mirum, quòd innumeras penè lucratus sit animas Christo. Dilcte! Quando nos ita vivere incipiemus! Tempus est, nos tandem de somno sensualitatis nostræ surgere, & solùm equærere, quæ Jesu, & animarum sunt. Quid agendum?

*Instructio meritoria.*

Pro pietate solidè acquirenda, & conversione multarum gentium per septem dies quotidie aliquem ex pœnitenti-

bu

bus psalmum persolvamus cum orationibus, quas lycaniis de omnibus Sanctis videmus annexas. Jesus vult omnes salvos fieri! Quid autem nos?

## II.

En! præ magnitudine amoris duæ in corpore confringuntur costulæ. Hic effectus Divinæ charitatis. O cur non rumpitur & cor nostrum ad hæc adeò insolita? Frigescimus, utut Deo assistamus proximi. O S. Philippe! tu ignem mitte! da flammam! Ne frustra clamemus.

*Instructio meritoria.*

Veneremur tam nobilem sanctum, & ut hujus meritis omnia mortalium ardeant corda igne Divini amoris, visite-  
mus Sanctissimum in Ecclesia, & omnium cum devotione recitemus Rhythmum:  
*Anima Christi sanctifica me. Ubi amor!  
ibi Deus. Infirmus, derelictus fui, &  
visitasti me.*

## III.

**Q**uid hoc? ab honoribus, & publicis dignitatibus extremè horruit S. Philippus. Munera magis hono-  
rifi-

Q 3

rifi-

rifica, quibus & ipsa eum glorificare voluit S. Romana Ecclesia, absolute respuit. Talia operatur humilitas in cordibus Servorum Dei radicata. Fili! alta quid petimus? Nonne ut lapsu graviore ruamus? Retrahamus pedem Vallem quæramus, &

*Instructio meritoria.*

Ut seriò, & generosò animò spernemus omnia, quæ humilia non sunt, flexis genibus coram Crucifixo detestemur nostram ambitionem, & frequentiora possidendi desideria. Addamus deum Lytanas de SS. Nomine Humillimi Jesu. Humilitate vincimus mundum, & nobis attrahimus Deum. Bene Salomon: quantò es magnus, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam. Eccl. 3.

Festum Sancti, & Venerabilis  
Bedæ, Magni Doctoris ex Ordine  
SS. P. Benedicti.

EXHORTATIUNCULA I.

**T**otum Sancti & Venerabilis Bedæ vivere fuit continuum legere, semper

per scribere, docere, & orare semper. Sancti labores, dum habent, amant; quærunt, si careant. Pereat otium in domo Dei! Dilecte! recordemur, ad quid nati, & vocati simus! non degeneremus ab excelsis Patrum nostrorum studiis! Sic Dei honor exigit.

*Instructio meritoria.*

Coelum ut plures ejusmodi zelosos viros in sua excitet Ecclesia, recitemus hymnum: *Veni Creator Spiritus*, cum oratione de Festo. Satagamus totam diem hodiernam non nisi aut precibus; aut sacris studiis, vel piis lectionibus impendere. Otiositas est inimica animæ. In domo Dei stamus! ergo ad laudes! ad litteras! procul cum desidia!

II.

**S.** Beda bonis, & devotis erat totus affabilis; superbis verò, & negligentibus sanctè iratus, & terribilis! Sic virtus amorem; vitium verò sibi parit odium, & aversionem. Fili mi! Non placebimus cœlo, nec homini, nisi ex sola virtute, modestiâ, & humilitate.

Q 4

In-

*Instructio meritoria.*

In satis factionem, superbiam, ac elatam aut inflatam vitam à Venerabili Patre spirituali petamus licentiam exercendi actum proprii contemptus & vilipensionis, aliam naturam, & propriam propensione appropinquemè contrarium. Ut nos ipsos triumphemus, ter orabimus Psalmum: *Domine! non est exaltatum cor meum.* Vincenti, & sese humilianti dabitur manna, & nomen novum, quod Deus nominabit.

## III.

**O** quam pretiosa mors Sanctorum! B. Beda in die Ascensionis super candelicum corpori subjectum decumbens, illibato sensu, & hilari vultu intonat: *O Rex Gloria!* Et sic jubilans evolat ad coelum. *Dilecte!* Non sequemur nos peregrini, & advenæ super hanc terram! *Fili mi!* strenuè laboremus pro coelo & assequemur.

*Instructio meritoria.*

Distributioni temporis hodiè intendamus accuratissimè; & ut magna pro Deo, & hujus honore audeamus, patientiam

tiamurque, in Patronum nostrum nobis  
eligamus Doctorem Ecclesiæ adeò Ve-  
nerabilem, cui & unam sacramentalem  
Communiónem offeramus! In hac ci-  
bus & potus datur verè sapientibus. Re-  
ficitur corpus: cur fame & siti pereat  
anima, & in hac Dei gratia?

## J U N I U S.

Solemnitas Triumphantis, &  
Amantissimi Cordis D. N. Jesu  
Christi.

### EXHORTATIUNCULA I.

**O** Quale agimus festum! Sanctissi-  
mum & suavissimum. Sanctissi-  
mum; quia de latere Jesu; Suavissi-  
mum; quia festum Amoris. Et ô di-  
lecte fili! quot sunt, qui illud gratâ  
venerantur memoriâ? Quot sunt, qui  
singulari pietate, affectu, & devotione  
Cor Jesu consolantur & diligunt. En!  
novam & crudelem lanceam, quæ de-  
nuò Jesu renovat vulnera. O detestan-  
dam mortalium ingratitude!

*Instructio meritoria.*

Sed quid nos? O fili! compensemus

Q s in